Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2607
Quelle:
Copyright:

quod clerici suos fructus super extantes per suos ministros simul uel ad mensuram possunt vendere, et quod ex hoc neque puniendi neque mercatores sunt appellandi. Multa opportuna circa rerum in uniuersum emtionem et venditionem maxime sub finem Tractatus promuntur.

IV. *fol.* 91. Ejusdem *Tractatus de IX. Peccatis alienis.* Constat *Sermonibus* XI. quorum *Primus* incipit: *Ad philippen. primo capitulo hortatur apostolus fideles. Tantum ewangelio christi conuersamini digne* &c. Ad calcem legitur: *Et sic est finis tractatus de nouem alienis peccatis viri eximij Thome de haselpach sacre theologie professoris. Anno &c. 1458.* Tractatuum *Haselbachii* hactenus recensitorum ex aliis *Codd. Mss.* mentio fit in *Scriptt. Univ. Vienn.* P. I. *Sec.* I. a *pag.* 157. Quisquis eos non obiter inspexerit, facile statuet, multis Monachorum, Fratrumque *Postillis*, *Sermonibus* &c. qui sub exortum Typographiae lucem videre, prelo digniores fuisse. Sed enim Ars illa tardiora et tenuia habuit *Viennae* initia.

V. *fol.* 161. *Incipit tractatulus Johannis Gerson de meditacione cordis.* Ad calcem: *Explicit — Anno domini M°. CCCC°. XL°.* Mox: *Incipit tractatus eiusdem de simplificatione cordis.* Ad calcem: *Explicit tractatus de Simplificatione uel eciam stabilicione ac mundificacione.* Demum: *Incipit tractatus eiusdem de directione seu rectitudine cordis.* Ad calcem: *Explicit — Anno domini M°. CCCC°. LVIII°.* Piae hae Commentationes, quarum *primam* in antiquioribus Librorum *de Imitatione Christi* editionibus non raro additam deprehendimus, extant nunc in edit. *Opp. omn. Gersonis.* T. III. a *col.* 449. *Antverp.* 1706. f.

VI. *fol.* 173. *In die Cene denuntiatio Edita per egregium doctorem sacre theologie Magistrum Thomam de haselpach pro tunc plebanum in pericbtolczdorff.* Initium Sermonis est: *Saluator noster Mathei. 18. cum dixisset collegio sanctorum apostolorum* &c. ut *Cod.* CCCXLII. Sed hic adhaerent: *Casus Excommunicationis*, *Casus Papales* et *Episcopales*, Item eorum, *qui non debent ad sacramentum accedere, nisi habita supra infra scriptis expressa voluntate confessoris.* Item *Collecta per M. Georgium dictum Sora, quomodo sit agendum tempore interdicti.*

VII. *fol.* 182. *Sermones* III. de SS. *Barbara*, *Nicolao* et *Leonardo.* Cum *secundo* et *tertio* superscriptum sit a secunda manu: *Hasselpach*, vix dubitem, *primum* quoque eidem tribui posse. Hujus initium est: *Sapientia vincit maliciam. Ratio huius. quia luci succedit nox* &c. Secundi: *Statuit illi testamentum sempiternum* &c. Tertii, qui in fine deficit: *Dilectus deo et hominibus* &c.

VIII. *fol.* 194. *Determinatio questionis de sanctificatione sabbati Magistri Johannis Hymel in vesperiis suis*, i. e. in Actu suo *Academico* ultimo ad gradum Doctoratus